

## HISTORIÆ VENETÆ

excitata, vel terra vel mari gesta, sunt scribenda: quorum quodque justum potius historiæ volumen atque separatum posse confidere, quam uno omnia comprehendendi atque contineri, nemo non dixerit. Multa præterea domi vel senatus consulta, vel leges, vel judicia illustria, vel novi magistratus, multi hospitio reges liberaliter accepti, multi honores diis immortalibus habiti, multæ prodigiorum domi forisque prædictiones, tempestatum ac syderum miræ vicissitudines, hujus temporis memoriam exemplis innumerabilibus refererunt: quæ colligere & mandare litteris, nec amantis otium animi est, nec minimæ industriæ. Sed nihil est profecto tam arduum, quin id patriæ charitas exuperet, apud eos viros præsertim, qui præclara in urbe geniti, atque optima in republica educati, suæ civitatis temperationem institutaque adamaverunt. Ita qui rebus tot atque tantis complectendis nunquam sponte curam & cogitationem adhibuisse: mihi enim post Romanos labores bonæ tandem valetudini, quam penitus amiseram, restituto, paterna in villa fundi Patavini majorem anni partem requiescenti, satis erat pascere levioribus tractandis artibus animum; voluntate meorum civium perspecta facile adducor, ut nihil mihi refugiendum putem, dum eorum studiis satisfaciam. Ab illorum igitur commentariorum fine, quos Marcus Antonius conscripsit, exorsus, quo ab fine Decemviris placuit ut initium scribendi facerem, continuato rerum filo, historiam ad hoc diei, si vita suppetet, perducam. tot enim, quot supra dixi, anni inter illius scripta atque hoc tempus intercesserunt. Ac eo fane tempore quo in statu esset, quam haberet faciem respublica, satis est ab illo demonstratum: quæ bello Ferrariensi confecto, fœderibusque initis, plus biennium soluta oneribus civitate, & pacato imperio est usæ.

1486

1487

Idem autem post hæc & publicæ quietis, & Sabellici librorum finis fuit: pacemque illam & tranquillitatem reipublicæ bellum statim Rheticum exceptit: neque ei profuit, quod suo se in otii capto jam portu magna perseverantia continuisset. Ejus belli levissima de causa ini-

tiū